

# Paibacher Diözesanblatt.

Mr. 9.

Inhalt: I. De dispensationibus matrimonialibus. — II. De praesenti sacerdotum penuria. — III. Historia Cathedralis Ecclesiae Labacensis auctore Joanne Gregorio Thalmitschero (continuatio). — IV. Miscellanea. — V. Ausföhrung der Johann Nep. Schlafer'schen Stiftung für Lehrerwitwen. — VI. Brandhändler in Tschudenberg. — VII. Chronik der Diözese.

1882.

## I.

### De dispensationibus matrimonialibus.

Ex Congregatione s. Universalis Inquisitionis.

Feria IV. die 1. Februarii 1882.

In Congregatione generali S. R. et universalis Inquisitionis habita coram Eminentissimis ac Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in rebus fidei Inquisitoribus generalibus proposito dubio: Utrum ad valorem dispensationum, quae sive directe ab apostolica Sede, sive ex pontificia delegatione conceduntur super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, nec non publicae honestatis necessarium sit exprimere copulam incestuosam a sponsis habitam ante impetrationem vel executionem praedictarum dispensationum; nec non exprimere consilium et intentionem cum qua copulam inierunt obtinenda facilius dispensationis.

Iidem Eminentissimi ac Reverendissimi DD. praehabitis votis DD. Consultorum respondendum decreverunt: Standum Decretis S. O., feria IV. 8 Augusti 1866 et S. Poenitentiariae, 20 Julii 1869.

En Decretum datum a S. Congregatione S. Off. feria IV., 8 Augusti 1866.

Eminentissimi Patres decreverunt: „Subreptitias esse et nullibi, ac nullo modo valere dispensationes, quae sive directe ab apostolica Sede, sive ex pontificia Delegatione super quibuscumque gradibus prohibitis, consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, nec non et publicae honestatis conceduntur, si sponsi ante earumdem dispensationum executionem sive ante sive post earum impetrationem, incestus reatum patraverint et vel interrogati vel etiam non interrogati malitiose vel etiam ignoranter reticuerint copulam incestuosam inter eos initam, sive publice nota ea sit, sive occulta, aut reticuerint consilium et intentionem, qua eam copulam inierunt, ut dispensationem facilius consequentur. Sufficere autem, ut unus ex sponsis delictum hoc suum, vel nefariam intentionem modo dictam explicaverit. Quod profecto nedum a probatis auctoribus communiter traditur, sed etiam a Summo Pontifice Benedicto XIV confirmatur in Constitutione, quae incipit „Pastor bonus.““

En Decretum editum a tribunali Sacrae Poenitentiariae die 20 Julii 1869.

„Post Constitutionem Benedicti XIV „Pastor bonus“ non posse amplius dubitari de nullitate dispensationis obtentae reticita copula incestuosa, vel prava intentione facilius obtinendi dispensationem habita in ea patranda“.

## II.

**De praesenti sacerdotum penuria.**

Salvator noster ipse primus operarios sibi deesse conquestus est: „Messim quidem multa, operarii autem pauci.“ (Mat. 9, 37.) In Ecclesiam die Pentecostes fundatam dirissimis ingruentibus persecutionibus, quum munus sacerdotale satis esset periculosum, vix a multis expetebatur; sed temporibus tam arduis Spiritus fortitudinis providebat, ne christiani „divinis solatiis“ destituerentur. Recuperata tandem pace et Ecclesiae multis concessis privilegiis status ecclesiasticus honoribus exornabatur multisque commodis etiam terrenis et ea retinebat fere usque ad magnam reformationem. In horum temporum historia Ecclesia non legitur unquam penuria laborasse sacerdotum. Haereses saec. XVI. septentrionem devastaverunt, pastores gregibus, greges pastoribus privarunt et vinea Domini desolata operarios desiderare coepit. Quapropter uni episcopo plures commissi episcopatus, parocho uni plures parochiae. Concilium Tridentinum, ut rebus infastis medicinam afferret, convocatum, non solum ordinem turbatum restituit, sed etiam nova quamplurima quasi creavit. Seminaria ad normam conc. Trid. sess. 23. cap 18. de ref. ubique locorum instituta tam clericalem educationem curabant futurorum sacerdotum, quam convenientem singulis dioecesis numerum servabant clericorum. Turbinis versus finem saeculi elapsi exorti in Gallia penuriam secum ferebant sacerdotum, qua, quum haec terra tot fortunae vicibus subjecta sit, usque in praesens tempus laborat. Aliis in terris infensa catholicis molimina principum statui sacerdotali non favebant, donec foedere sacro inter summos regnantes inito pax stabiliretur et hominum animi ad superiora paullulum converterentur. Ast non multo abhinc omnia susdeque verti et res divinae sperti cooptae sunt, quod multorum mentes sacerdotio alienavit. Unde evenit, ut in omnibus fere catholicis regionibus sacerdotes pauciores esse appareret, quam animarum cura exposcit. — Quae si considerantur omnia, in promptis est concludere: genium saeculi religioni catholicae inimicum semper penuriam adduxisse sacerdotum.

Sed missis aliis regionibus nostrae immoremur dioecesi. Saeculo XVI. non parum penuria sacerdotum causam praebebat, ut tam late apud nos spargerentur haereticae doctrinae semina. Exinde episcopi operam dabant, ne populus gregis instar vagaretur sine pastoribus. Imo ipsius Josephi II. novitates sacerdotes nequaquam diminuere tentabant. Tristem vero rerum statum Francorum invasio effecit, cui vulneri mederi nostri saeculi episcopi pro virili adlaborabant. Quidnam hodie? Docet Catal. Cl. 1882 vacare nunc parochias 36, cooperaturas 81 etc. Quid ergo? Magnane jam sacerdotum penuria? Numerus locorum vacantium non est spernens dux, sed inde nequaquam justo pauciores sacerdotes adesse dici potest. Sed alia proferri debent indicia. Multa sunt munia pastoris, quae jure adimplere tenetur. Quodsi non par est omnibus exsequendis, ex praesenti jure episcopus ei tot ad jungit cooperatores, quot curae animarum sufficere possint. Id enim ante omnia pastorum est, invigilare, ut promoveatur salus animarum aut saltem nullum capiat detrimentum. Natura rerum indicat tantum unicuique laboris imponi debere, quantum sustinere valeat, nec plus nec minus aequo. Nam sacerdotes neque vocati sunt, ut prae mature vires suas consumant, neque ut otio fruantur. Sed tantum abest ut Ecclesia ministris suis nimium imposuerit onus et nimios labores, ut quandam commoditatetum sacerdotibus tum fidelibus procuraverit, vel per fideles pios atque locupletes beneficia erigens, vel alio modo sustentationem suppeditans sacerdotibus quamplurimis, ne quid animarum curae deesse

videatur. Quid ergo mirum, quod — si dicere fas est — passim tot fuerint sacerdotes, ut non paullum temporis otium terere potuerint, quinimo nec omnes in animarum cura adhibiti sint. Certe illa rerum conditio neque ecclesiasticorum decori, neque robori favebat, quum otium multorum parens sit vitiorum et clericorum, qui jam pridie vagantes appellabantur, quum sibi tum fidelibus semper essent spirituali incommodo. Qua ex causa quorundam locorum vacantia non jam veram sacerdotum penuriam indicat, quae tunc adest, quando per eos in quadam dioecesi nequaquam omnia munia possunt obiri. Talem penuriam dioecesin quoque nostram aliquot annis premere, praesertim vero hoc tempore, omnes conveniunt. Jam anno 1878 quaedam ephemerides nostrae multa eaque gravia in nostram rem disserebant, (Danica nr. 14., Slovenec nr. 69, 70, 71, 74. Slov. Gosp.) atque media apta suadebant, sed, uti opinor, frustra. Mihi, quum haec scriberem, non tam in animo erat nova media ostendere ad majus imminens malum declinandum, sed quaedam dixisse juvabat, quae hac de re consideranti mihi in mente suborta sunt.

Multi jam in detegendis causis hujus mali ingenium suum exercebant, quos ne corrigere videar, unam tantum causam ceteris anteponere, imo unicam dicere velim eam, quam genium nostri aevi vel nostrae studiosae juventutis appellare liceat. Quicunque tempore recentiori studia litterarum absolvitur, compertum habet, neque parentum egestatem, neque militiae officium juvenes impedire, quominus Seminarium ingrediantur, sed maxime vocationem vel inclinationem in sacerdotium sibi deesse omnes fatentur. Hanc vero inclinationem, quam nonnulli e domo paterna allatam diu servant, genius temporis, qui et juvenes attigit et in partes abduxit, ex animis juvenum evellit, destruit, aversionem et — cur non aperte dicam — odium animis teneris inserit sacerdotii. Theologiam amplecti inter juvenes ignominiae vertitur, et quum Seminarii aditus his annis examine maturitatem tentante non approbatis pateret, sensim persuasio invaluit, debilioris tantum ingenii discipulos et quibus aliorum non esset facultas studiorum intra Seminarii muros compelli. Ita re vera esse, omnes juniores sacerdotes et clericos testes invoco. Non est meum hanc causam ulterius disquirere, sed legenti quaestione propono: Quomodo igitur penuria sacerdotum a nobis considerari debet? Utrum poena a Deo inficta? Sed poenam quocunque malum putare possumus, et sententia haec prudentem considerationem paullum juvat. An vastatio vineae Domini a spiritu nequam tentata? Non falsum est sic sentire, et usum harum sententiarum inferius exhibeo, at nos teneamus praesentem penuriam sacerdotum esse: 1. Manifestationem genii temporis, secundum quod dictum est, nobis sacerdotibus infensi. 2. Votum, ut ita dicam, diffidentiae, signum displicentiae, quod statui ecclesiastico ostendit aevum nostrum. 3. Contemptum nostri status, orientem e contemptu Ecclesiae et generatim religionis. 4. Conatus Ecclesiae inimicorum adimendis pastoribus perdendi oves. Sed singula quaeque perpendamus. Conspectus historicus docuit ardua ecclesiae tempora sacerdotum penuriam adduxisse, sive magnae haereses sive turbines et persecutio saeviebant. Talibus Ecclesiae periodis nostram esse similem, penuria comprobat sacerdotum. Sacerdotium regnum est spirituale et quae desursum sunt, sacerdotii sunt. Non in mundanis, non in terrenis, non in vitae commodis, non in materiali luero fundamenta nostra nituntur, sed coelestia, invisibilia, quae intellectu tantum et fide apprehenduntur, haec nostri status sunt firmamenta. Hinc infensum sacerdotio hoc aevum, hinc multa damna, multa nobis aliena (quippe terrena, materialia), quae aevum in nostram quoque ditionem furtim invexit. — Quod secundo loco dixi, unusquisque attendat, quo sensu intellectum velim. Multi sunt hodie, qui sacerdotes minime existiment homines probos et recti studiosos, sed tales ferre, quales nos idolorum ministros dijudicamus, qui, quamvis sui cultus falsitatem et absurditatem intelligent, tamen in errore miseros homines retinent, ne ipsi quaestum lucrosum amittant. Novi virum quandam, qui summopere invigilavit sacerdotibus, attenus verbum quoddam ex iis, quod se incredulos esse manifestaret, ut inde plane persuaderetur, reli-

gionem nostram esse fallacem, id est: aut nos ipsos esse deceptos, aut deceptores. Non amplius a cultioribus reputamur populi benefactores, non ejus salutis promotores, sed turpis lucri cupidi, avidi, otium sectantes, commoda vitae quaerentes, ingenii homines arctis limitibus circumscripti, creduli, imperandi cupidi, civili potestati renitentes et quae sunt hujus generis praedicata. Tales quum ex eorum mente sint sacerdotes, nobis juvenes avertendo diffidentiam exhibent. — Cum hac diffidentia intime conjugitur contemptus nostri. „Status noster contemnitur“ — hoc jam adagii instar circumfertur; status, quem auctor religionis nostrae summa dignitate splendere voluit ad ima depressus apud cultiores omni aestimatione excidit. — Etiam quartum ab omnibus conceditur. „Percute pastorem et dispergentur oves.“ Ad exiguum redacto numero sacerdotum salus fidelium in summo periculo versatur. Quis doceat, quis sacramenta dispensem, quis religionem et veritatem propugnet, quis scandala reprimat, quis animos rudes mitiget, mulceat, contineat, quis scelera avertat, quis indigentibus opem ferat, nisi pastor bonus, pastor animarum? Ut unum tantum hic obiter memorem, crescentia apud nos mala, caedes, furta, effrenata libido, unde etiam putasne oriuntur, nisi e defectu sufficientis curae, quam nimis pauci pastores habere nequeunt. Quum vero hoc dicam, prorsus non excusare volo legum atque judiciorum et magistratum nimiam erga homines nefarios indulgentiam, quae, quum scelera justo minus puniant, homines rudes non terrent.

Ita considerandam puto penuriam praesentem sacerdotum; quo perpenso alteram solvam quaestionem:

Quae cum ita sint, quid sacerdotibus ipsis hac in re agendum? Certe non fallor, quum multos dictis meis vix credere dicam, rem nimis exaggeratam esse putantes. Attamen hi neverint, inquam, neverint tempus quo vivunt, intelligent, quid mundus sibi velit, juventus quo tendat, neve propter ignorantiam suam aut ipsi semet seducant, aut quod salvare possent, misere perire sinant. Tempora mutantur, hodieque prorsus aliud est aevum, ac paullo abhinc fuerat. Summopere ea ex causa cognoscamus oportet aevum praesens; ne ignoremus, quid alii de nobis sentiant, quum inde tantum nostram agendi rationem componere possimus. Primum igitur est cognoscere, deinde agere. An viro indignemur idecirco, quod a mundo vilipendamur? Habemus magistrum, quem Judaei in Beelzebub daemonia ejicere clamitabant. Non est autem discipulus super magistrum: quid ergo mirum, si etiam nos spernunt, contemnunt, nobis diffidunt. Nihilominus dignitas nostra omnibus praecellit dignitatibus, sacerdotium Christi in coelo summis fulget honoribus, quos nemo adimere valet. Quapropter neve indignemur neve terreamur. Et si quando factum est, ut non excellentissimi derelicto gymnasio Seminarium ingressi sunt, meminerimus hominem quendam coenam parasse multosque invitasse. Renuentibus autem iis, qui primi invitati erant, dominus coenae pauperes, caecos, claudos ad coenam venire jussit. (Luc. 14, 16. 24.) Itaque studeamus tanto diligentius, ut ecclesiasticis disciplinis plene imbuamur et scientia divina non simus indigentes sed divites. Nunquam inimici nostri inveniant occasionem propter nos blasphemandi Christo vel Ecclesiae. Si statui nostro a cultioribus non defertur honor competens, in illud nitamur, ut saltem singuli, qua personae, honore digni inveniamur. Si status non conciliat honorem personae, persona conciliat statui honorem. Illam rusticam cogitandi rationem jam prorsus exuere debemus, ac si status ecclesiasticus, ut alii, ad sustentationem comparandam amplectendus sit. Praebet victimum altare, sed heu miserum illum, qui propter victimum amplectitur altare! Utinam nunquam victus tantum studium pree nobis feramus; utinam nemo in sacerdote tam vile studium inveniat! Unum verbum sacerdotis maximo scando laicis esse potest, totique statui ecclesiastico in detrimentum.

Ut status noster a multis contemnatur, non eveni causam praebet paries quidam inter nos atque laicos, nescio quomodo interpositus. Clerus quidem in sortem Domini vocatus a laicis separatus et segregatus est. Tamen ex divina institutione pro hominibus sacerdotes sunt instituti, ut inter homines vivant, patrum more filios educent, firmissimumque vinculum amoris pastorem et gregem colligent. Sed apud cultiores sacerdotes ad summum uti personae publicae vel magistratus habentur, cum quibus negotia quaedam componi debent. Scissum est hodie illud vinculum, evulsus sacerdos e medio civium. Propterea tam difficile sacerdotem operari in urbibus, ubi homines sacerdotem quasi non hominem expavescunt. Det ergo operam hodie sacerdos, ut illud vinculum restituatur. Sit benignus, humanus, humilis erga omnes, sit homo, uti ceteri homines, non quaerat sibi honorem aut timeat laedere ecclesiasticum, studeat eruditos et nobiliores prudenti conversatione sibi conciliare et ita lucrari Christo. Non expectet, ut pastorem quaerant oves, sed pastor quaerat oves, et medicus offerat medicinam. Noverint nostram vocationem laici, fiant nostri amici, ut amici fiant Ecclesiae. Noverint laici, nos non amare ignorantiam sed scientiam, non quaerere tenebras sed lucem, non esse obscuros vel obscurantes, fatuos, simplices, sed verum amantes progressum, rectam libertatem et intelligentiam. Sit nostra conversatio inter eruditos non coacta, non difficilis, timida, sed placens, modesta, libera, digna. Omnia media licita nobis praesto esse debent, ut attrahantur, qui deficiunt aut jam defecerunt.

Denique penuriam sacerdotum conamen nobis ostendere dixi inimicorum Ecclesiae, ut adimendis pastoribus perdant oves. Quaenam illam sequantur penuriam, paucis jam innui, nec multis opus est verbis. Animarum pastorum est, providere, ne quid detrimenti capiat salus gregis itaque etiam providere, ut curae sufficient sacerdotes. Quum autem genio temporis tribuerem causam penuriae, et genius non pro lubitu et paucorum studio possit mutari, nihilne igitur restat, quam divinae providentiae omnem solitudinem committere? Nequaquam; sed quae a hominibus perfici possunt, perficiantur, et adsunt media, quibus sacerdotum penuria ex parte saltem potest praecaveri. Quaenam? Omnium summa in eo est, ut arceatur genius temporis et serventur integri juvenes ab ejus pestifero halitu. Huc reffero donationem atque divulgationem proborum librorum inter juvenes studiosos, aptas monitiones, revocationem a perniciosis conventibus et quae hujus sunt generis. In primis autem unum medium non possum quin iterum atque iterum omnibus pastoribus et sacerdotibus instanter commendem; familiarem prudentem et quasi paternam manudictionem studiosorum juvenum temporibus vacantibus et quacunque offerente se occasione. Docet enim experientia, et si opus esset possem affere exempla, tales parochias, quae a prudentibus et juventutis amicis gubernantur parochis, semper multos progenuisse clericos, quum contra tales studiosi, qui a suis parochis tempore feriarum negliguntur, non solum non accendant Seminarium, sed hostilem induant animum in Ecclesiam. Memineris, bone pastor, omnium animarum tibi incumbere curam in tua parochia degentium; quanto magis illarum, quas forte Dominus in suum ministerium vocat. Tales juvenes mox amice et prudenter ad te attrahas, benignum atque sincerum animum illis manifestes, pluries ad tabulam tuam invites, sed prudenter. Major cura in eo erit, ut multa bona familialiter eos edoceas, quorum animus illorum capax est, a periculis avertas, in bona justa, vera excites atque inflammes, in omnibus verum patrem spiritualem te exhibeas. Ubi vero advenit tempus eligenda viae vitae, non in clericalem statum eos trahas, sed tantum quid in diversis statibus iis exspectandum sit, ostendas, ut facilius, liberius possint rectum eligere. Nam multos statum ecclesiasticum ideo aversari scio, quia falsis de eo opinionibus sunt imbuti. Quantum de juventute ille meretur, qui talia praejudicia in tempore valet corrigere! Non ergo mihi in animo est impellere sacerdotes, ut „proselytos“ faciant Seminario, uti dicunt, sed, ut quae bona, recta, utilia sunt, juvenes studentes

edoceant et ita in quibusdam divinam vocationem adjuvent. Hoc medium, uti dixi, quum facillimum, tum utilissimum, at prudenter adhibendum. — Etiam illud non praetermittent animarum pastores, incitare, ut ingenio praediti adolescentes scholis mandentur, etiamsi ipsi parva dispendia pecuniae facere debeant. Quodsi eos spes fallat, non nimis indignentur. Talibus juvenibus exhibeat se sacerdos exemplar bonae vitae, in quo juvenes futuram vocationem contemplentur.

Quamdiu penuria hac laboramus laborem nostrum dupplicemus, vires intendamus, divinum auxilium imploremus. Etiam fideles moneantur, ut cognoscant valorem boni sacerdotis, ut intelligent, quid desit sibi, quum desit sacerdos, ut rogent Deum bonos pastores. Revereantur manum Dei punientem, discant aestimare Dei ministros, discant obedire, discant nunc diligentius operari salutem, quum pauci multorum numerum supplere non possint.

Reliquum vero sacerdotum penuria etiam illud nos monet, posse Deum auferre a populo quodam beneficium religionis, posse eum diminuere sacerdotes eorumque sobolem, i. e. clericorum accessum penitus reprimere. Quid tunc? Meminerimus talis poenae, quam ne Deus in nos ulterius infligat, oremus. Optime vero orabimus et simul agemus, si coram populo non vani locutores, ut in ludis sumus, sed factores verbi. Tune laetiora, aucto sacerdotum numero et viribus labori intentis, tempora exspectanda.

L.

## III.

## Historia Cathedralis Ecclesiae Labacensis.

Auctore Ioanne Gregorio Thalnitschero I. U. D.

(Continuatio.)

Hoc loco notandum venit, quando et qua occasione campana major, quae tot saeculis, ut suo loco diximus, cathedrali Ecclesiae servierat, tot tantaque beneficia praestitit, rupta sit. Accidit id 8. Junii circa crepusculum, dum triduo post funestissimum obitum Leopoldi Magni Caesaris omnibus campanis urbis Labacensis statuto tempore pulsaretur, non absque notabili dolore eorum, quorum interest. Discerpta est, diceret hic quispiam, quod campana haec, quae tot funera planxit, hunc tam acerbum casum plangendo ultra ferre non potuerit, ac prae nimia tristitia animam egerit, nec non quem animo conceperat moestitiae sensum mundo testari voluerit. Cum proinde tanti funeris memores simus, liceat nobis, qualiter in communi Austriaci orbis luctu Labaci parentatum fuerat, fusius prosequi. Dicta octava Junii triduanis eiusdem funeralibus, ita adcurante reverendiss. Capitulo Labacensi in Oratorio cathedralis Basilicae initium datum. Positum erat in medio Oratorii ingens cenotaphium, senis praegrandibus auro illustribus, columnis, statuis et emblematis decoratum, nec non multiplice luminis splendore conspicuum. Parietes pariter pullato vestiti colore suum testabantur dolorem. Litavit ad aras pro magnis Caesaris manibus . . . . et funebrem orationem eleganti stylo dixit A. R. P. . . . . Helblinus S. J.

Qualiter pariter excellens Academia Philo-harmonica Labacensis maximo in terris Principi parentaverit, videamus. Se legit illa sibi pro hac funebri pompa templum Virginis Annuntiatae A. R. P. P. Augustinianorum ac diem 20. Junii praefixit. Spectabatur ipsa die in medio templi statua ingens altitudinis 12 pedum deaurata, augustissimi nuper, nunc divi Caesaris, qui post assertam in ori-

ente simul et occidente Romano imperio majestatem, inter ipsas belli adreas vitor ad superos translatus est. In pedestali bina legebantur chronographica: „Def Vn Cto MonarChae,“ et subtus: „triStIs phILo † MoNIA LaBaCenSI Defert.“ Ecclesia universa obscura redita facibus et multiplici luminum flamma luculenta facta. Musica lugubris et exquisitissima inter comprecantium preces personabat. Verum ex his omnibus, cum ad „Dies irae“ et illud „tuba mirum spargens sonum“ ventum, maximum applausum meruit tuba, horribilem sonum edens; quod si audisses, tubam extremi judicii intonuisse crederes. Orationem dixit funebrem celebris concionator A. R. P. Philippus Hoffsteter e S. J.

Redeamus ad fabricam. Turri campanariae, quae forum respicit, ultima manus admota. Huius perficiendae 18. Maji initium datum ac usque ad 20. Julii inter continuas aeris mutationes et pluvias promota, quas ingens siccitas et aeris serenitas secuta, non obsque notabili jactura frugum terrae. Hinc ad obtinendas salutares pluvias binae processiones ex cathedrali Basilica: prima ad Virginem Thaumaturgam, Matrem Dolorosam, quae in aede s. Floriani colitur 23. Augusti, altera ultima dicti mensis ad s. Petri parochialem ecclesiam, imo ad Virginem pariter Dei Matrem, quae ibidem veneratur; quarum utraque pluvias impetrarunt sat proficuas. Inter has preces obiit 24. Augusti aeternum decus Labacensium et religionis seraphicae honos, P. Antonius Lazari, Ord. s. Francisci Reformatorum, fundator alter, pietate insignis, literis clarus et regularis observantiae zelotes eximius, sequenti die in capella s. Crucis annexae Ecclesiae Assumptae Virg. tumulatus.

21. Julii apici memoratae turris campanariae globus ingens cum cruce deaurata impositus, cuius nodo in medio crucis constituto sequens pergamenta inscriptio una cum sacris reliquiis inserta:

† † †

AD LAVDEM SANCTISSIMAE TRINITATIS IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI, EIVSQUE SANCTAE SINE LABE CONCEPTAE VIRGINIS MARIAE, OMNIVM SANCTORVM, AC PRAECIPVE S. NICOLAI EPISC. MYRENSIS, CATHEDRALIS HVIVS ECCLESIAE PATRONI HONOREM ET GLORIAM PERFECTA FVIT HVIVS TVRVIS CONSTRVCTIO. ANNO DOMINI M.DCC.V. DIE XV. LVII. GVBERNANTE VNIVERSAM ECCLESIAM CLEMENTE XI. PONTIFICE MAXIMO, IMPERATORE AVGMO. IOSEPHO MAGNI LEOPOLDI FILIO, EPISCOPO LABACENSI CELSISSIMO AC REVERENDISSO. PRINCIPE DNO. FERDINANDO, EX COMITIBVS DE KUENBVRG etc., FABRICAE DIRECTORE IOANNE ANTONIO THALNITSCHER DE THALBERG, CATHED. EIVSDEM DECANO ET VICARIO GENERALI etc. CRVX HAEC VNA CUM GLOBO SUPER IMPOSITA FVIT,  
ET IN EADEM INCLVSAE SEQVENTES RELIQVIAE:

Crux vera caravacensis, diversa alia numismata benedicta, cera benedicta ab Innocentio XI. sanctae memoriae Papa, particula eiusdem birethi et subuculae, de malo aureo s. Thomae Aquin, de planeta S. Philippi Nerei, de cineribus et veste b. Pii V., de columna Christi, de velo b. Catharinae Bonon., de ligno rosarum, in quibus volutabatur s. Franciscus, de grotta s. Michaelis Archangeli.

Quae omnia turrim hanc, imo totam dioecesim, ac praesentem districtum Labacensem ab omnibus tempestatibus, aliarumque adversitatum malis tueantur. Amen.

Sustentat tectum in sui medio elegantem pergulam, e qua latus per urbis viciniam prospectus. Haec natales suas 19. Septembris debet; apte me hercle huc posita, nec facile alibi talis hoc loco visa.

Restat modo, ut denuo videamus, quid murarii, quid Julius Qualaeus agat. Illi 22. Maji portam majorem in facie Ecclesiae, notabilis magnitudinis ex firmissimo marmore polito errigunt, cui mar-

mori aureis literis incisa inscriptio imposita, quae accedentium auribus effatum illud, quod Jacob Isra-  
elitarum Patriarcha pronunciavit, ut venerabundi sacra limina accendant, repetit:

„Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta coeli“.

Quo peracto scalas turris alterae campanariae aggrediuntur ac intra breve tempus perficiunt. Quibus pariter finitis ad pavimentum Chori capituli e dupli marmore nigro et albo conficiendum, nec non binas cryptas in Sacello s. Dismae ad usum nobilis Societatis Unitorum construendas applicantur. Quibus omnibus rite peractis operi huins anni finem imponunt. Julius e contra, licet opus illud magnum in laqueari navis hoc anno elaborare paraverat, a superveniente morbo, quartano enim corripitur, a fine suo abstrahitur, ac in aliud tempus differre cogitur. Abiit provinde 9. Octobris, horâ prima pomeridiana navim ascendens. Verum sicut accidens hoc omnes quos interest afflixerat, sic literae, quae, quod biduo abhinc a morbo liber factus sit, attulerant, plurimum recreaverant.

Finito universo huius anni opere 20. Novembbris rediit ad residentiam suam Princeps-Episcopus Labacensis ab electione Coadjutoris 19. Octobris Salzburgi secuta. Longus forem, si omnia, quae in dicta electione peracta rememorarem; hoc unum in laudem dicti Principis-Episcopi nostri proferre sufficiat, quod parum abfuerit, quin non omnium votis in dictum munus suffectus fuisse.

## CAPUT XVII.

### Acta anno MDCCVI.

Ultimo, ceu sexto anno fabricae, Numinis singulari nutu seu coelitum cura patria inter saevientes bellorum turbines et cruentas totius pene Europae caedes et ruinas beatâ periter gaudet quiete, avitâ incolarum pietate comparatâ, de qua jure dici potest, quod hic pax alma domicilium suum fixerit, relictâ superum sede. Hoc opportuno proposito suo commodo innixus Decanus mature hiemis tempore de necessariis aestatis tempore profuturis praevidit.

Finitis festis paschalibus mitescente aura prouum tempus ad labores illucescebat. Opus proinde 7. Aprilis reassumptum, parte una turrium campanarum fabri lignarii, parte altera murarii, hi ut tectum stanno operiendum parent, illi, ut turrim ante annum coopertam coemento obducant ac exornent, tum fenestrae majori balvastras imponant.

Decima Aprilis appulit Julius Qualaeus a suo scolari Carlini, qui elapsâ hieme Venetiis delineationis studio academias frequentando incubuit, comitatus. Longe majus is iter fecit, ac majoribus sumptibus, Bononiam transeundo, ut utriusque, tam Germanorum quam Galorum exercitus ignominias et caedes delinearet. Reassumpsit is iconem anno elapso imperfectam, perficiendam; eiusdem scolaris Carlini e contra in turri, quae forum respicit, tria horologia depinxit 10 pedum altitudinis.

Die 22. Aprilis globus alter cupreus deauratus, magnae capacitatis, utpote 8 mensuras (vulgo mernigh) tritici capiens, dexteritate Lagoja, fabri lignarii, cum sociis impositus, cui sequentes sacrae reliquiae cum binis inscriptionibus reconditae. Quarum prima sic sonat:

DEO AVSPICE,

CVI HONOS ET GRATIARVM ACTIO IN SEMPITERNA SAECVLA,  
ANNO A PARTV VIRGINIS CIQ. IO. CC. VI. DIE VERO 22. APRILIS,  
ALTERI HVIC TVRRI CAMPAN. NEOBASILICAE DIVO NICOLAO SACRAE,  
GLOBVS IMPOSITVS, AC RELIQVIAE SEQVENTES INCLVSAE SVNT:

De ligno s. Crucis; de spina coronae Christi; de columna Christi; de agro sanguinis; ubi Christus fuit baptizatus; natatoria Siloë; de sepulchro ss. Innocent. ubi Christus praedixit judicium; de villa Betphage; ubi flevit super Jerusalem; de castello Emaus; ubi suscitavit Lazarum; de Porta aurea; ubi Christus fuit in oratione; ubi Apostoli fecerunt „Credo“; de lapide Bethaniae; ubi Christus transfiguratus est; ubi Christus jejunavit; de monte Tabor; ubi Christus fuit inventus; crux benedicta Caravacensis; pasta sanctorum reliquiarum; de cineribus et veste b. Pii V.; de planeta s. Philippi Nerei; de velo b. Catharinae Bonon.; Agnus Dei cum birethi particula s. M. Innocent. XI. Pont; de subucula eusdem; de malo aureo s. Thomae Aq.; de petra capelae, in qua apparuit s. Michael Archang.; de spinis rosarum s. Francisci Seraph.

Altera inscriptio huic annexa sic sonat:

#### VOTVM VOVENTIS.

Domine Deus noster respice ad orationem servi Tui, et ad preces eius. Audi orationem, quam repetit, cum Salomone rege servus Tuus nomine omnium incolarum urbis Labacensis hodie:

Ut sint oculi Tui aperti superdomum hanc nocte ac die; ut exaudiias depreciationem populi Tui, quodcumque oraverit in loco isto, et exaudiens in loco habitaculi Tui in coelo, et cum exaudieris propitiis eris; si agentes poenitentiam, et confitentes nomini Tuo venerint, et oraverint, et deprecati fuerint in domo hac: exaudi in coelo, et dimitte peccata populi Tui. Si qualiscunque plaga afflixerit eos propter peccata eorum, et orantes in loco isto poenitentiam egerint nomini Tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam, Tu exaudiens eos in coelo, et propitiaberis, et facies, ut des unicuique secundum omnes vias suas, ut timeant Te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terrae, quam dedisti patribus nostris. Insuper, et alienigena, cum venerit de terra longinqua propter nomen Tuum, et oraverit in loco isto: Tu exaudiens, et facies omnia, pro quibus invocaverit Te alienigena, ut discant universi populi Tui timere nomen Tuum. Benedictus Dominus, qui dedit requiem inter tot dira bella nobis, et exemit nos ab omni plaga, et calamitate magna. Sit Dominus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque projiciens, sed inclinet corda nostra ad Se, ut ambulemus in universis viis Eius, et custodiamus mandata Ejus et ceremonias Eius et iudicia, quaecunque mandaverit patribus nostris. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis Eius, et custodiamus mandata Eius sicut et hodie.

Duodecima Maji apposita fuit pergula ferrea alteri turri campanariae, quae septentrionem respicit. Decima quinta Maji, hora nona matutina, fusa fuit campana honori Providentiae Divinae dedicata a Caspero Franco, fusore Labacensi, in praesentia plurimorum DD. Canonicorum, nec non aliarum altioris conditionis personarum, ponderis 37 cent. Ad hanc campanam, quae in funere Leopoldi Caesaris fuerat disrupta, laudabili zelo et raro exemplo tam intra, quam extra urbem Labacensem colegerunt D. Canonicus Andreas Clementschisch, cui adjunctus erat e civibus Jacobus Herndl, mercator. Inscriptiones autem sequentes ei sunt impositae:

NON EST ALIVS DEVS, QVAM TV,  
CVI CVRA EST DE OMNIBVS. Sap. 12.

Reaedificata a fundamentis Basilica, Anno MDCCVI, me ante CCC. annos conflatam, dein in funere Magni Leopoldi Caesaris vitiatam, in honorem Divinae Providentiae incolis beneficis aediles templi Cathedralis restaurandam curarunt.

Paululum sublimius leguntur sequentia carmina ab academico quodam Operoso Labacen. cantata:

Magnum laudo Deum, tempus quoque dissipo saevum,  
Cum maestis plango, cum laetis jubila pango;  
Sabbata sacra cano, quae pestis noxia sano.

27. Maji, albo utpote calculo notanda dies, cum eadem exoptatissima nova de liberatione Barcelonae, urbis principalis Cataloniae, nobis innotuerint. Fuit illa dies notabilis. Cum rex Carolus Hispaniae, Austriacus, a duca Andegovensi, alias rege Hispaniae habito, obsideretur ab Hispano-Gallis, venere illi in auxilium Anglo-Hollandi magno navium apparatu duce Lake, a cuius eventu summa rerum dependebat. Illa proinde die, hora 9. matutina, dicta campana a celsiss. Ordinario solemni ritu benedicta, peractaque functione turri, quae forum spectat, imposita fuit, opere et sudore nautarum Labacensium, qui ad contestandum eorum zelum erga Patronum eorum, ad hoc munus sese ultro obtulere. Hanc comitatae sunt tres reliquae minores, dictae turri pariter locatae. Sequenti die festo ss. Trinitatis, praevia facta denunciatione, vesperi post pulsum „Ave Maria“ integro quadrante memorata campana pulsabatur, nec non duobus secuturis diebus. Qui intra huius pulsum „Pater“ et „Ave“ dixerat, 40 dierum indulgentias ex indultu celsissimi Ordinarii obtinuit.

Hac functione peracta abiit celsiss. Praesul Oberburgum 9. Junii, ubi integra aestate morabatur. Interim fervide tam intra quam extra Ecclesiam promovet opus. Foris murarii parietes coemento obducunt, intus novus gypsator Joannes Christoph. Lendl, natione Berlin-Brandenburg., in sumitate laquearis, arae majoris obversus, 14. Junii genios defluos, Basilicae horologium ostentantes, horae fluxum nosse potentibus formandos aggreditur. Haec dum fiunt, horologii artifex Joannes Michael Krieger, Berlin-Brandenburgensis natione, gravi infirmitate corripitur, vix non ad extremum vitae redactus. Omnium vota horologii fluxum tandem consciendi non absque tedio tardavit usque ad 30. Julii, qua die primum flnere coepit, postquam praevie septem tabulas horologiorum Carolus Carlini, discipulus Julii, depinxerat, e quibus sex cum dupli sphaera, hinc unum opus raro artificio universim tredecim sphaeras rotat.

Hoc loco notandum venit, quod 27. Junii et 4. Julii ob notabilissimas a nostris reportatas victorias in Oratorio Corp. Christi finito summo officio, a reverendiss. D. Praeposito Labacensi inter solemnem musicam decantato, „Hymnus Ambrosianus“, ad debitas grates summo Deo referendas, inter buccinarum clangorem et repetita ab Arce et urbe tonitrua et civium armatorum explosiones, reiteratus; prima die ob Barcelonam Cataloniae ab arcta obsidione Ducis Andegovensis solutam, strenue urbem defendente augusto rege Carolo, altera die ob celeberrimam in Belgia ab invicto heroe Duce Maleborugio contra Gallo-Bavaros reportatam campestrem victoriam.

19. Julii, dejectis trabibus et remotis ligneis fulcris, comparuit laqueare navis eleganti penicillo Julii, de quo suo loco fusius, animatum, quod conteleplandum tota civitas, curiositate liberali homine digna, ducta confluxit. Haec dum aguntur, obiit 22. dicti mensis magno omnium luctu celsissimus D. D. Ferdinandus, dux Silesiae, Munsterbergae et Frankenstein, Princeps ab Auersberg, postquam 10 diebus decubuerat, apoplexia tactus, aetat. 51, absque haerede masculo, unica filia relicta, nupta Co-

miti Georgio Sigismundo ab Auersberg. Tertia die vesperi in Ecclesia B. M. V. Assumptae P. P. Francisc. Reform. Lab. tumulatus est. — Vigesima nona Julii Labaci celebratum Capitulum P. P. Capucinorum, in quo inter reliqua ventilatum ac indulsum, ut eorum dominicalis Concionator in posterum in Neocathedrali diebus Dominicis sermonem dicat, hoc reservato, ut pariter liberum illis foret, eius loco ibidem alium substituendi, quod hac de re dilatum offertum.

(Continuabitur.)

#### IV.

### MISCELLANEA.

#### **De libris a s. Congr. Indicis dimissis.**

Die 5. mensis Decembris 1881 s. Congregationi Indicis proposita fuerunt sequentia dubia:

I. Utrum libri ad sacram Indicis Congregationem delati et ab Eadem dimissi seu non prohibiti, censeri debeant immunes ab omni errore contra fidem es mores.

II. Et quatenus negative, utrum libri dimissi seu non prohibiti a sacra Indicis Congregatione, possint tum philosophice tum theologice citra temeritatis notam impugnari.

Eadem Sacra Congregatio respondit:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

#### **De iis qui lege iejunii non tenentur ob aetatem, laborem ac affectam valetudinem.**

Volvente anno 1819 mense Februario propositum fuit S. Poenitentiariae hoc dubium:

„An fideles, qui ratione aetatis vel laboris ieunare non tenentur, licite possint in quadragessima, cum indulsum concessum est, omnibus diebus industo comprehensis vesci carnibus et lacticiniis „per idem indulsum permisso, quoties per diem edunt“.

Sacrum Poenitentiariae Tribunal dato decreto die 24. Februarii eiusdem anni proposito dubio respondit: „Posse“.

Hoc extante responso, Episcopus N. animo revolvens praefatum decretum attingere tantum eos qui lege iejunii eximuntur ratione aetatis et laboris, Sacram Poenitentiariam, datis litteris, expostulavit relate ad eos, qui ratione affectae valetudinis a iejunii lege dispensantur, hoc proponens solvendum dubium:

„An ii qui ratione affectae valetudinis a lege iejunii dispensati sunt, possint iis diebus, quibus per indulsum esus carnium concessus est, saepius per diem carnibus vesci“.

Sacra Poenitentiaria die 16. Martii volventis anni dubio proposito sic rescriptsit: „*Fideles, qui ratione affectae valetudinis a lege iejunii seu unicae comedionis eximuntur, licite posse, iis quadragessimae diebus, quibus esus carnium per indulsum permisso est, toties carnibus vesci, quoties per diem edunt*“.

#### V.

### Ausschreibung der Johann Nep. Schlaker'schen Stiftung für Lehrerswitwen.

Die vom Normalschul-Director, k. k. Schularate und Ehrendomherru Johann Nep. Schlaker errichtete Stiftung zur Unterstützung von je einer Volksschullehrerswitwe ist für die Zeit vom 1. August 1881 bis hin 1882 wieder einer anderen zu verleihen.

Solche Witwen, welche sonst keine Stiftung genießen, wollen durch die hochw. Pfarrämter von der Ausbeschreibung dieser Stiftung mit dem Bemerkten verständigt werden, daß sie im Falle einer Bewerbung um dieselbe ihr diesfälliges Gesuch mit glaubwürdigen Zeugnissen über ihre wirkliche Armut, ihren tadellosen Lebenswandel und über den mindestens zehnjährigen, im Lande Krain lobenswert versehenen Volkschullehrerdienst ihres verstorbenen Mannes zu belegen und bei diesem Consistorium, dem das Verleihungsrecht zusteht, bis zum 20. September d. J. einzureichen haben.

## VI.

**Brandschaden in Tschudenberg ob Idria.**

Am 24. Juli 1. J. hat die Pfarre Tschudenberg ein schweres Unglück getroffen. Drei Wohnhäuser samt Wirthschaftsgebäuden und 20 Stück Vieh, dann der Pfarrhof, das Meßnergebäude und das Kirchendach selbst sind binnen einer Stunde dem furchtbaren Elemente des Feuers zum Opfer gefallen.

Da sich die schon so sehr armen Gebirgsleute nicht selbst helfen können, so werden sie der Mildthätigkeit der Gläubigen empfohlen und die hochwürdigen Herren Curaten werden hiemit eingeladen Almosensammlungen für die Abbrandler vorzunehmen und die eingegangenen Beträge an das Ordinariat zu übersenden.

## VII.

**Chronik der Diözese.**

Die Aufnahme in das fürstbischöfliche Knabenseminar Collegium Aloysianum in Laibach wurde gewährt folgenden angehenden Schülern der III. Gymnasia-Classe: Flerc Anton aus Šmarica bei Homec, Höffler Mois aus Laibach, Gabrovšek Josef aus Planina bei Rakek, Gregorin Franz aus Studa bei Mannsburg, Medved Anton aus Stein, Podlipnik Georg aus Wurzen bei Kronau, Polak Martin aus Laibach, Ušeničnik Alex aus Pölland, Vilman Anton aus Karnergellach, Zabukovšek Victor aus Landstrass, Zupan Johann aus Kropa; der IV. Gymn.-Classe: Gregorič Rudolf aus Andriz b. Graz, Pešec Franz aus Brest bei Ig, Sturm Karl aus Metlika; und der V. Gymn.-Classe: Ivanetič Johann aus Metlika.

Am 7. August erhielten die canonische Investitur: auf das Laibacher Canonicat landesfürstlicher Stiftung der Director des fb. Clericalseminars Herr Dr. Johann Gogala, und auf die Propsteipfarre zu Rudolfswert Seine Hochwürden der Herr Peter Urh, welcher auch zum Dechante des Decanalbezirkes Rudolfswert, zum Mitgliede des dortigen f. k. Bezirksschulrathes und zum fürstbischöfl. Commissär bezüglich des Religionsunterrichtes und der religiösen Übungen am f. k. Rudolfswerter Obergymnasium ernannt worden ist.

Der hochwürdige Herr Franz Groznik, Expositus in Begunje bei Cirknica, wurde für das vacante Curatbeneficium zu St. Veit bei Sittich und der Curat in Šturiha, Herr Mathias Erjavec, für die Pfarre Vipava präsentirt.

Gestorben sind: der pensionierte Pfarrvicar, Herr Jakob Košir, am 15. August zu St. Veit bei Wippach, und der Ortscurat von Budanje, Herr Johann Janža, am 16. August. Dieselben werden dem Gebete des hochwürdigen Diözesanclerus empfohlen.

**Vom fürstbischöflichen Ordinariate Laibach am 31. August 1882.**